



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Catechesis Pverilis

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1543

VD16 M 2628

Sextvm Praeceptvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-33561

pijs, irascimini & nolite peccare, id est, resistite iræ. Fit autem cultus Dei propter finem, quia hoc fine præstat, ut Deo obediamus in his officijs, item ut propter ipsum retineamus ecclesiæ tranquillitatem.

SEXTVM PRÆCEPTVM.

Non mœchaberis.

Quid præcipit sextum præceptum?

APPRObat coniugia & coniugalem consuetudinem, Deinde prohibet omnes uagos concubitus, & prohibet non tantum externa facta, sed etiam affectus impuros & incendia animorum, sicut Christus interpretatur, Qui uiderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est.

Recita comminationes ad ditas huic præcepto.

Non solum imbecillitas magna est in animis hominum, qua fit ut facile inflammetur concupiscentia, sed etiam horribilis cæcitas est, quæ facit ut extenuent homines hoc peccatum, nec uideant iram Dei aduersus hoc peccatum, nec moueantur minis æternarum aut corporalium pœnarum.

Nam

Nam maxime calamitates humane plerumque sunt poene idolatrie, tyrannidis & libidinum. Ita in causis Diluuij recensentur libidines. Sodomam conflagrarunt propter nefariam impuritatem. Ciues Sichem interfecti sunt propter stupratam filiam Iacob. Deinde in deserto propter libidines una die uigintitria millia hominum perierunt. Postea ferè tota tribus Beniamin deleta est propter stupratam Leuitæ uxorem. Filij Heli propter adulteria perierunt. Dauidis adulterium magnas ipsi & regno calamitates attulit. Ostendunt poenas huiusmodi flagitiorum etiam aliarum gentium historie, ut Troia propter raptam Helenam euersa est. Romæ tota respublica mutata est propter Lucretiam ui compressam. Deinde propter Appij scelus qui Virginij filiam rapere conatus est, iterum mutata est Respublica. Plutarchus narrat duas puellas à laconicis iuuenibus per uim stupratas, deinde interfectas esse. Narrat & alia quedam facinora, sed in pugna Leuctrica Lacedæmonij uicti sunt ad sepulchra illarum puellarum, ut appareret Deum ulcisci illa supra. Pausanias Spartanus propter raptam & interfectam puellam postea fame necatus est. Miletus, Sybaris, Athenæ & alie Græciæ ciuitates, denique Roma propter libidines euersæ

uerse sunt. **C**onstantinopolim aiunt etiam ante captiuitatem horribilibus sceleribus pollutam fuisse. **H**as historias attigi breuiter, ut similia exempla obseruentur uetera et recentia, eaq; sciamus non casu accidere, sed poenas esse diuinitus irrogatas pro talibus flagitijs. **A**c certissimum signum est impendentis exitij imperijs & ciuitatibus, quando ad ipsa uitia accedit impunitas & contemptus peccati. **S**icut **I**saie tertio dicitur, **P**eccatum suum sicut **S**odoma prædicauerunt. **C**um talis est licentia, sciamus nõ procul esse poenas **i. Corin. 6.** **F**ornicatores, adulteri etc. non erunt heredes regni **D**ei, & sequitur deinde longa concio, **Ephes. 5.** **O**mnis fornicatio & impudicitia non nominetur inter uos. **Galat. 5.** **O**pera carnis sunt adulterium etc. **Q**ui talia agunt, regnum **D**ei non possidebunt. **Coloss. 3.** **F**ornicatio & impudicitia etc. propter quæ uenit ira **D**ei super inobedientes, **i. Thessal. 4.** **H**æc est uoluntas **D**ei sanctificatio uestra ut abstineatis à fornicatione. **Hebr. 13.** **F**ornicatores & adulteros iudicabit **D**eus. **Heb. 12.** **S**equimini sanctificationem, sine qua nemo uidebit **D**ominũ. **i. Pet. 2.** antefert cæteris peccatis libidines, & significat præcipuè propter libidines puniri homines priuatim & publice. **I**niustos ad diẽ iudicij reseruat, maxime uerò

Verò ambulantes in concupiscentia immunda iuxta carnem. Itaq; exempla testantur publicis calamitatibus sæpe punitas esse libidines. **Ephes. 4.** docet cæcitatem & securitatem comitari libidines, cum ait, **Qui cum dedoluerunt se tradunt immundiciæ.** Et **Oseas** monet cæcitatem pœnam esse libidini. **Ebrietas & fornicatio auferunt cor.** Sunt autem gradus libidinum, qui & pœnarum gradus habent in exemplis sacrarum literarum & legibus. Nam imperia debent publicis pœnis hæc flagitia punire, sicut testatur hæc sententia, **Lex est posita iniustis.** Hic autem intelligamus etiam uicina uitia prohiberi, quæ alunt libidines, qualia sunt intemperantia, otium, luxus, sicut ait **Ezechiel cap. 16.** **Hæc fuit iniquitas Sodome,** superbia, saturitas panis & abundantia, & otium, & manum egenti non porrigebant. **Ideo fecerunt abominationes propter quas deleui eos.** Ut autem propheta coniungit uicina peccata, ita hic prohibentur omnia uitia quæ alunt libidines, ut intemperantia, otium, ebrietas.

Quomodo fit hoc præceptum?

ITA fit, cum agnoscimus immundiciam nostram, & fide statuimus nobis **Deum** propitiū esse propter **Christum,** & incipimus **Deo**

Deo obedire in hoc præcepto sic ut in timore Dei & propter Deum repugnemus affectibus, qui ad libidines incitant, & abstinemus à scortatione, adulterijs & incestis libidinibus, sed coniugio piè utantur illi quibus est opus, iuxta illud Pauli, Propter fornicationem unusquisque habeat uxorem suam. Nam coniugalem consuetudinem approbat Deus sicut Christus clarè docet Matt. 19. Et Paulus 1. Corint. 7. & 1. Timot. 2. Hæc inchoata obedientia placet Deo, propterea quia sumus facti filij, & habet ingentia præmia sicut testatur exemplum Ioseph. Et quanquam hærent in nobis uiciosi affectus, tamen condonantur ijs, qui repugnant & credunt in Christum.

DIC SEPTIMUM

præceptum.

Non furtum facias.

Quid præcipit?

Vita opus est rerum usu, possessione, & contractibus. Ideo iam docet etiam in his rebus Deo seruire, & primum, quia uetat furta, sequitur quòd liceat suum cuique tenere. Quare rerum distinctionem & dominia approbat. Estq; doctrina utilis conscientie, intelligere quòd Deo placeat hæc externa & politica ordinatio